UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana Libri XVI

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

124. Solitudo Torrida. Ex Curtio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70090

Visual Library

Verùm hoc ambroſia, & nectaris eſt latex, inquit de vino generoſo, quod poſtea Panyaſis eſt imitatus.

Νέφάλι☉ ὁ τοῦ Διονύσου κραλῆρ. *Aqua dilutus Æſchylus, in Eumenidibus aquam vocat,* χοὰς ἀοινὰς νηφάλια μειλίγματα.

Iuliani immanis frugalitas. *Hanc autem frugalitatem in Iuliano commendat Ammianus, lib.25. & immanem fuiſſe (vt eius verbo vtar) aſſeuerat.*

Omitto prolixas villarum deſcriptiones, quas vide apud Plinium lib.2. epiſt.17. & lib.5. ep.6. & apud Sidonium Apollinarem, lib.2. ep.2.

SOLITVDO TORRIDA.

Ex Curtio, lib.4.

Deſcriptio CXXIV.

AC primo quidem, & ſequenti die tolerabilis labor viſus, nondum tam vaſtis ſolitudinibus aditis, iam tamen ſterili, & moriente terra: Sed vt ſe aperuere campi alto obruti ſabulo, haud ſecus, quam profundum æquor ingreſſi: terram oculis requirebant. Nulla arbor, nullum culti ſoli occurrebat veſtigium, aquæ etiam deuexerat, quam vtribus cameli deuexerant; & in arido ſolo, ac feruido ſabulo nullæ erant. Ad hæc ſol omnia accendebat, ſiccaque, & arida erant omnia, cum repente ſiue illud Deorum munus, ſiue caſus fuit: obductæ cœlo nubes, ſolum vigente æſtu fatigatis, etiamſi aquæ deficeret auxilium. Enimuero, vt largum quoque imbrem excuſſerunt procellæ, pro ſe quiſque excipere eum, quidam ob ſitim impotentes ſui, ore quoque hiante captare cœperunt.

SPELVNCA.

Apuleius, lib.4. metam.

Deſcriptio CXXV.

MOns horridus, ſylueſtribusq; frondibus vmbroſus, & in primis altus fuit. Huius per deuexa obliqua, qua ſaxis aſperrimis, & ob id inacceſſis, cingitur: conualles lacunoſæ, caueaq; nimium aggeratæ, & quaqua verſus repoſitæ, naturalem tutelam præbentes ambiebant. De ſummo vertice fons affluens, bullis ingentibus ſcaturiebat, perq; prona delapſus, euomebat vndas argenteas, iamq; riuulis pluribus diſperſus, ac valles illas amnibus ſtagnantibus irrigans, in modum ſtipati maris cuncta cohibebat. Inſurgunt verò ſpeluncæ, qua margines montanæ deſunt, turris ardua, caula firma, ſolidis cratibus, ouiliq; ſtabulatione commoda, porrectis vndique lateribus, ante fores exigui tramites, vice ſtructi parietis attenduntur.

Adde Corycium ſpecum quæ deſcribitur à Pomponio Mela. l.1. c.13.

CORYCIVS SPECVS.

Ex Pomponio Mela, lib.1. cap.13.

Deſcriptio CXXVI.

SVpra Specus eſt nomine Corycius ſingulari ingenio, ac ſupra quam vt deſcribi facilè poſſit eximius. Grandi namque hiatu patens, montem littori appoſitum, & decem ſtadiorum cliuo ſatis arduum, ex ſummo ſtatim vertice aperit. Tunc altè demiſſus, & quantum dimittitur amplior, viret lucis pubentibus vndique, & totum ſe nemoroſo laterum orbe complectitur: adeo mirificus ac pulcher, vt mentes accedentium primo aſpectu conſternat, vbi contemplati durauere, non ſatiet. Vnus in eum deſcenſus eſt, anguſtus, aſper, quingentorum & mille paſſuum, per amœnas vmbras, & opaca ſyluæ quiddam agreſte reſonantis, riuis hinc atque illinc fluitantibus.